

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XXI

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

ANDREA CHRISTOPHORO SCHUBARTO

Hallensi Saxone

IN FESTO JACOBI.

A. O. R. cl. l. c. II.

HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris

Oelschlegell.

ECCLESIAE LUMINIBUS ET COLUMI-
NIBUS.

VIRIS

*Reverendæ dignitatis splendore Clarissi-
mis, Eruditionis decore Præstantissimis, vir-
tutum - itore Spectatissimis*

DN. M. HENNINGO Engelbrechten
Concionatori Templi Mariani apud Ha-
lenses dignissimo, parentis ad instar filia-
li adfectu suspiciendo.

DN. M. JOHANNI Benckern
Templi Mauritanii ibidem Symmistæ
meritissimo, Mæcenati suo co æviterno
reverentiæ magmento excipiendo.

DN. M. JOHANNI Königen
Ecclesiæ in Schenckenberg Antistiti vigi-
lantissimo, Suceptori suo omni venera-
tionis genere prosequendo.

DN. M. ANDRÆ Hübner
Pastori in Reudenburg & Bischdorff fidelis-
simo, Adfini suo, omni observationis
cultu & vultu perpetim venerando.

*Pro beneficiis effusissimis
hanc grate memoria tabulam
in sacello fame ac Mnemosy-
nes ad Eucharistias aram ap-
pendit*

ANDREAS CHRISTOPHO-
RUS SCHUBART, R.



ANALYSIS
EVANGELII
 IN FESTO JACOBI.

Matth. 20. à vers. 20. usq₃ ad 24.

INTRODUCTIO.



*M*irum est Rebeccam Gen. 27
 10. juniori natu filio Jacobo depo-
 scere à patre benedictionem, ex-
 cluso primogenito Esavo. Mira-
 bilius matrem filiorum Zebedei à
 Christo poscere primatum, licet alij seniores ad-
 essent Apostoli, uti illud ipsum uberius decla-
 rat in presenti textu Evangelico.

THESIS I.

In quo habetur partim matris deside-
 rium & postulatio: Vbi ejus notanda civi-
 litas v. 20. in quo temporis circumstantia:

N u

Tunc.

Tunc. Nempe cum iamjam Apostolis itinere postremo, quo è Galilea ascendebat Hierosolymam, passionem suã enumerasset & antea de sessione super sedes duodecim differuisset Matth. 19, 28. Arbitrata mater Zebedæi filiorum in tempore venire omnium primum esse, præsertim cum Christus adjecerit quod multi sint futuri primi novissimi, & novissimi primi; mater ergo honoris filiorum studiosa, potissimum cum Christus dixerit se tertiã die resurrecturum, putabat illicò post resurrectionem regnaturum. Ex aviditate igitur fœminea, uti loquitur Hieron. in hoc caput præsentia curat, immemor futurorum. Ut discamus tempus omninò observandum esse.

2. Et res ipsa, quoad efficientem causam, cujus prædicatum in effectu: accessit ad eum. Tanquam cognata, utpote quæ erat soror Josephi mariti Mariæ matris Messie. Ut discamus si velimus aliquid, ipsi accedere & animi sententiam manifestare.

3. Et subjectum, quoad relatam: Mater filiorum Zebedæi. Quæ alias Matth. 27, 56. & Marc. 15, 40. Salome nominatur; licet Nicephorus L. 2. c. 3. Hist. Eccles. dubitet, Augustinus quidem putat patrem retrovisse, sed vero similis est viduam fuisse. Ut discamus

mus

mus sollicitudinem parentum pro liberis esse suscipiendam; siquidem thesaurus preciosissimus parentū liberi; quin quia mater non potest oblivisci filiorum Es. 49, 10. intensius est sollicita, uti probat exemplum Hanne 1. Sam. 1, 16. Bathseba 1. Reg. 1, 17. & Tobia Tob. 5, 23.

4. Quoad comitatum: cum filiis suis, Marcus quidem habet c. 10, 35. filios accessisse, sed matrem assumserunt, ut auctoritate eius facilius exorarent, uti monet Chrysoft. Hom. 66. Si enim res ipsa reprehensibilis facilius meretur veniam: ipse enim sexus excusat errorem; si non fuit reprehensibilis, habet autor imperfecti operis, facilius impetravit mater pro filiis suis rogans; ipse enim dominus qui maternos animos filiorum miseratione implevit facilius exaudit maternum adfectum. Erunt verò filii tum Iacobus qui ad differentiam minoris sive Alphaei major dicitur Matt. 10, 3. vel ratione statura vel ratione etatis, vel quod Lyrae placuit ratione vocationis ad Apostolatam; tum Johannes frater eius, qui cognominati Boanerges filii tonitruus Marc. 3, 17. quiq; cum patre professione piscatores Matt. 4, 21. Luc. 5, 7. Bethsaidenses Christo pra reliquis phari.

5. Et quoad formam in gestu: adorans. Adoratione nimirum civili & politica, dum fors in genua procidit, quemadmodum apud orientales populos fuit usitatisimum, & hac ipsa ceremoniâ praterea etiam subjectionem suam demonstrare voluit. Vt discamus reverentiam exhibere aliis.

6. In objecto: & petens aliquid ab eo. Siquidem, uti Marcus commemorat v. 35. quod antequam Iacobus & Iohannes petitionem suam proposuerint, Compromissionem petiti à domino expediverint, uti inquit: Magister, velimus ut quicquid petierimus prestes nobis. Atq; ita prius volunt mater & filii obtinere promissionem exauditionis, antequam explicent desiderium petendorum. Vt discamus solere plerumq; prudentes, qui desperant aut dubitant ad minimum de impetrandis generaliter petere, ut inflectant voluntates superiorum, & obstringant ipsorum fidem; & ut observemus civilitatem non esse contemnendam, sed potius esse exercendam.

7. Et primatus petiti dignitas: v. 21. in quo, tum Christi interrogatio: At ille dixit ei: Quid vis? Siquidem Christus non temere arguit, sed prius particularem petiti explanationem postulat, ut eam, quam inquam futuram

futuram sciebat, redarguere possit. Interrogat non ignorans, habet Chrylost. h. l. sed ut respondere compulsi ulcus subaperiant, quod sanare Christus intendebat. Non est ignorantis, habet Augustinus, quæstio sed præscientis & ideo querentis ut ostenderet non ignorantia esse petitionem. Ut discamus non statim amisco fidem ob familiaritatem vel ob carnalẽ adfectum, obstringere, sed potius estimare an iusta sit petitio: Nisi enim Herodes adeo temere fidem suam obstrinxisset, tam subito Iohannes decollatus non fuisset.

8. Tum matris responsio, quæ continet tum titulum, conjunctim: Ait illi: dic ut sedeant hi duo filii mei: Cum enim iuberet Christus ea, quæ postularet manifestare, illa cogitans, petentis negligentiam reprehendi, ubi de dantis misericordia non dubitatur, uti habet Chrylost. Filiorum suorum primatum petit & regnare cum Christo cupit: sedentis enim est regnare. Ut discamus sæpe esse præposteram parentum de liberis curam.

9. Distinctim respectu prioris: unus ex dexteris tuis. Uti locus honoratior, ut patet ex Matth. 25, 33. & ex Tiberio Suetonii c. 6. Videatur Domin. 26. in Deliciis Epistolice. quæst. 1.

Nn 3

10. Re-

10. Respectu posterioris: & unus à sinistris. Ut essent ita proximi à Christo, utq; alter prorex, alter verò magnus regni magister vel cancellarius eligeretur.

11. Quoad locum: in regno tuo: Fuit enim somnium de erigendo à Christo regno terreno. Et quoniam propè Hierosolymam erant, in januis esse, ut loquitur Chrysoft. Hom. 66 in Matth. & jam jam eventurum putabant, quod hujus vite ac seculare opinabantur: ideo ne vel Petrus vel alius ipsos ante verteret, mater vel ex naturali adfectu, quod Chrysoftomo placet Hom. 25. in Matth. vel ex muliebri simplicitate aut imperitia, quod Origeni videtur Tract. 12. in Matth. vel ex aviditate feminea, quod Hieronymus censuit in cap 20. Matth. primatum confessus pro filiis petit. Et licet error sit, prout placet Ambrosio L. 5. de fide ad Gratianum c. 3 pietatis tamen error est: Nesciunt enim materna viscera patientiam, et si voti avara, tamen venerabilis cupiditas, qua non pecunia est avida, sed gratia. Et licet apud Marcum filii dicantur petiisse, tamen nulla est contradictio: Quod enim, notante Augustino libro de consensu Evangelistarum c. 64, per matrem dictum esse Matthaeus expressit, Marcus ipsos filios Zebedaei perhibet dixisse, cum
illa

illa illorum voluntatem ad Dominum attulisset. Vnde magis ipsos, quam illam dixisse, quod dictum est Marcus breviter intimavit. Vt discamus sanctos etiam habere suos errores; Sed lapsus majorum debet esse tremor minorum, ait Augustinus in Ps. 50. Arnobius tamen inquit in Ps. 105. ver9 Christianus ille est, qui cottidie orat pro peccatorum suorum remissione. Interim fugienda ambitio est, que teste Bernhardo serm. 6. in Ps. 90. subtile malum, secretum virus, pestis occulta, sanctitatis tinea, livoris parens, vitiorum origo; potissimum autem libido dominandi, potius liberorum cura habenda in educatione, quoad animum, quam quoad honores.

12. Partim est Christi responsum seu declaratio: ubi occurrit petiti deferendi impossibilitas v. 22. in quo efficiens causa: Respondens autem Jesus dixit. Vbi iam iam intellexerat ex ipsis quid desiderarent, ut rectius reformaret, accuratius informat. Vt discamus lapsos & ignorantes humaniter corrigere & in viam revocare. Vnde exclamat Ambrosius L. 5. ad Gratian. de fide. c. 3. ubi hanc Historiam explicat: Quam patiens & clemens dominus, quam alta & bona charitas! ita & Apostolus Paulus jubet fratres instau-

rare cum spiritu mansuetudinis ad Gal. 6, 1.
 Studeat ergo, inquit Bernhardus serm. 23. su-
 per Cant. Cant. magis amari quàm metui.
 Et si interdum severitate opus est, paterna sit,
 non tyrannica: matres fovendo, patres verò cor-
 ripiendo vos exhibeatis, nisi sint obstinati præ-
 varicatores, tunc enim tradentur Satana in in-
 teritum carnis, 1. Cor. 5, 5. ne blasphement 1.
 Tim. 1, 2. Quia accusat scriptura pastores,
 inquit Theodoretus in Epist. divin. decret.
 de pœnitentia, qui eam ovium suarum curã
 gesserunt: dicit enim Dominus ipse: O Pastro-
 res quod infirmum fuit non confirmastis, quod
 egrum erat non curastis, quod male habebat nõ
 refecistis; quod aberrabat non reduxistis, &
 quod perierat non requisistis.

13. Et materia, ubi Christus exprobrat
 in genere ignorantiam: Nescitis quid petatis.
 Nesciebant, quia regnum Christi non erat
 de hoc mundo loh. 18, 36. sed futurum erat æ-
 ternum Dan. 2, 44. in quo ipse dominaturus.
 Atq; sic arguit intentionis carnalitatem & sto-
 liditatem. Nesciebant quod officii sui sit docere,
 non imperare Luc. 22, 25. Atq; sic arguit va-
 nitatem eorum, nesciebant prius laborandum,
 postmodum premium postulandum. Atq; sic
 incusat

*iacusat ordinis perversitatem: Ad magna enim
 premia, ut ait Gregorius Magnus, non perve-
 nitur nisi per magnos labores: cumq[ue] serum diei
 esset, tunc Dominus dicit procuratori, redde
 mercedem Matth. 20, 8. Ille accipit premium,
 qui sic cucurrit ut comprehendat 1. Corint. 9,
 24. Ut discamus saepe nos petere ea, que non
 intelligimus, an necessaria & salutaria? Ideoq[ue]
 nihil accipimus, ait Iacobus c. 4, 3. dum nos pe-
 timus prater regulam magisterii, habet Au-
 gust, tract. 3. in Iohann. Unde inquit Ambro-
 sius serm. in Ps. 13. Tu cum oras, magna ora, id
 est, ea ora, que eterna sunt, non caduca; ora, que
 divina sunt atq[ue] cœlestia. Noli orare pro pecu-
 nia, quia erugo est, noli pro auro, quia me-
 tallum est, noli pro possessione, quia terra est,
 non audit Deus nisi quod dignum ducit suis
 esse beneficiis. Temporalia quidem, si de-
 siderint, petenda sunt, sed quantum hu-
 mana necessitas requirit, dum juxta Gregorii
 sententiam non nimium requirenda. Ideoq[ue]
 Deus nō semper exaudit: Multi enim clamant
 in tribulationibus & non exaudiuntur; teste
 Augustino Exposit. 2. Ps. 21. sed ad salutem,
 non ad insipientiam, ut intelligat homo medi-
 cum esse Deum & tribulationem medicamen-
 tum. Non audit medicus ad voluntatem, sed
 ad*

ad sanitatem; sic Deus non semper facit voluntatem, ut faciat sanitatem.

14. In specie allegat impotentiam per communicationem Rhetoricam, argumento sumpto tum à potione medica: potestis bibere calicem, quem ego sum bibiturus? *Quibus verbis regiam ipsis viam ostendit qua non ad temporalem & inanem, sed ad veram dignitatem pervenitur; siquidem per calicē crux & calamitas intelligitur ex Pl. 57, 9. ex Jerem. 5, 15. ex Thren. 4, 11. Et comparatur crux cum calice 1. ob ordinis observationem: Calix enim non uni sed multis porrigitur, imo omnibus; omnes verò qui bibunt & qui piè vivere volunt afflictionem patiuntur. 2. ob proportionem. Calix pro voluntate hospitis impletur ex Gen. 43, 34. ita plus cruce pressus legitur Moyses Num. 12, 3. David Pl. 38, 4. quàm Simeon aut Nathan. 3. ob dilectionem: nane est amicitiae symbolum; ita Deus castigat illum, quem diligit Prov. 3, 12. Hebr. 12, 6. & quia acceptus eras apud Deum, ait Raphael ad Tobiam, tentatio probavit te Tob. 12, 13. Est aliàs calix conditionis Pl. 16, 5. indignationis Es. 51, 17. ambitionis Jer. 51, 7. inebriationis Prov. 23, 2. Ut discamus omnium Christianorum esse tribulationum calicem. Quanquam, quod Chry-
sost.*

loft. notat Hom. 1. in 2. Timoth. 4. Non sunt casus omnes communes omnibus: ideoq; non dicamus, prout iterum monet Chryloft. Hom. 3. in cap. 2. ad Hebr. quare hoc? & qua de causa hoc? quando Deus aliquid dispensat aut disponit: Hoc enim extrema impietatis est, & scelerata superbia: servi namq; sumus, neq; ante pedes nostros scientes quod agitur. Non ergo perscrutemur divina consilia, sed quod nobis donare dignatus est, hoc servare festinemus. Interim & ipse bibit. Vnde August. super Pl. 98. amarum poculum prius bibit medicus, ne bibere timeret egrotus, quod consolationis est.

15. Tum ab ablutione: & baptismo quo ego baptizor baptisari? Hoc est eandem mortem sustinere: Calicem enim nominavit, quia cupidè crucem accessit, ait Theophylactus; baptismum, quia morte sua nos abluit ab omnibus peccatis. Vnde inquit Chryloft. Baptismum appellavit, ut magnam orbi expiationem futuram significaret. Sic & Christus dixit Luc. 12. 50. baptismo habeo baptisari, & quomodo ardeor usq; dum perficiatur? Vt discamus non leves tantùm calamitates sustinendas, sed etiam graves.

16. Et discipulorum declaratio: dicunt

ei. possumus. Non quidem dicunt ex fiducia fortitudinis, sed ex ignorantia passionis: nam in expertis videtur esse levis tentatio, ait Chryso-
 lost. Sic Petrus dicebat paratus sum tecum in mortem & carcerem transire: Quemadmodum enim primus primas sedes stultè postulabat, ita nunc nimia cupiditate consedendi, quid optarent ignorabant & temerè avebant. Ut discamus presumptionem extra divinam gratiam esse nimis temerariam: Quomodo enim potuerint, ostenditur dum Christum reliquerunt Matth. 26, 65 Certè fides non est omnium 2. Thess. 3, 2. Accipimus quidem, habet Cyprianus in libello de Singular. Clericor. fortitudinem spiritualem, per quam substantia fragilitas corroboretur; sed ita nobis fortitudo spiritualis collata est, ut providos nos, non precipites tueatur. Et expedit plus bene timere, quam malè fidere, utiliùs què infirmum ut se homo agnoscat, quo fortis existat, quam fortis videri velit & infirmus emergat, ait idem.

17. Et cuius sit concedendi potestas. v. 23. in quo antecedens quoad prædictionem, concedendo de cruce; & dicit iis: calicem quidem meum bibetis. Potuisset Christus eorum in dicendo procacitatē insectari, ut pote quorum timiditas & infirmitas ipsi probè nota erat,

erat, sed solita erga ipsos utitur clementia, ipsorumque imbecillitatē patienter fert, & propterea tribulationibus eos subiectum iri concedit. Quamvis non intelligendum aequaliter, sed aqualiter, dum omnibus subiectos fore miseris innuitur.

18. De morte: & baptisate, quo ego baptisor baptisari. Hoc est pro gloria Dei & meo regno passuri estis, qualia ego mox sum passurus. Quemadmodum Iacobus primus Apostolorum jugulum licitori pro fidei confessione tradidit Act. 12, 2. & Iohannes dum mens prompta ipsius ad passionem, & dum patienter sustinuit, quacunq; a persecutoribus allata. Act. 5, 40. Atq; ita Iohannes in persecutione bibie calicem, Iacobus in passione, uti Lyra textum exponit. Et discamus Christianis pro veritate religionis esse etiam moriendum, quo Deo hostiam viventem exhibeamus.

19. Consequens quoad rem: at sedere a dexteris meis & sinistris meis. Non est dubium Apostolos postquam audiverant Dominum ad promptam illorum pollicitationem ipsos calices bibituros & baptizatum iri, magnam intra animos spem concepisse futurum ut & reliqui voti compotes fiant, sed Christus subjicit, quod minimè audire desiderabant, dum dicit:

dignis

dignitatem illam, sedere ad dexteram & sinistram suam, esse summam.

20. Quoad limitationem per remotiorem de statu exinanitionis: non est meum dare. Hoc est non est officii mei in isto statu exinanitionis regnum mundanum instituere, ob adfinitatem, ut interpretatur Beda, ob superciliositatem, uti explicat Lyra. Neque enim potestatem negat, habet Cyrillus L. 10. Thess. 5. sed dispensationem ostendit. Et Augustinus Lib. 1. de Trin. c. 12. inquit: respondet discipulis secundum formam servi. Non est meum, dare vobis, explicat Ambros. L. 5. de Fide ad Gratian. c. 3. Quid est: non est meum? qui venit humilitatem docere: non est meum qui venit non ministrari, sed ministrare. Non est meum qui iustitiam servo, non gratiam.

21. Et per affirmationem de statu exaltationis: sed quibus paratum est a Patre meo. Hoc est, dabitur iis, quos predestinavit Pater in adoptionem, filiorum. Eph. 1, 5. citra ullum sanguinitatis aut adfinitatis meritum: paratum enim est innocentibus, ut parvulis Marc. 10, 14 pœnitentibus Matth. 4, 17. misericordiam exercentibus Matt. 25, 34. mala patientibus Matt. 5, 1. diligentibus 1. Cor. 2, 9. & credentibus Ioh. 2, 15. Paucis, qui sunt in Christo, Eph. 1, 4. 2, Tim-

2. Tim. 1, 9. *secundum enim propositum suum*
 ut habet Hieronymus super cap. 8. ad Rom.
proponit sola fide salvare, quos præsiverat cre-
dituros, & quos gratis vocavit ad salutem.
Vt discamus in his terris non dari dominatum,
sed in cœlis futurum esse premium.

N O T A.

UT unus ad dextram) Considera vani-
 tatē discipulorum, qui cum audissent de
 passione Christum loquentem volunt regnare;
 ut discas ambitionis malum. II.

NEscitis quid petatis) Considera quā
 benignē & sapienter Christus errantibus
 respondeat; ut discas leniter & humaniter igno-
 rantes corrigere. III.

Sed quibus paratum est) Considera pru-
 denter Christum respondisse de spirituali
 sessione, nō temporali; ut discas equē illam af-
 fectare, non istam.

C A S U S.

An imperator habeat jus primarū precum?

NEg. 1. *Quia Christus hic dicit ipse non*
esse dare, ut quis sedeat, vel ad dextram
vel sinistram. Matth. 20, 24.

2. *Quia habet id à Pontifice, cujus in his ter-*
ris non habetur ratio propter pacificationem
 Arumæus de jure publico discurs: 10. Th. 31.
Ac plus juris in alium transferre non potest,
 quam

quam quod ipse habet, cum causa secunda non
possit amplius quam ei à prima causa conces-
sum l. i. §. i. ff. locat.

Affirmatur. 1. Quia, uti Christus testatur,
Pater potest ei dare cui paratū est Matt. 20, 24.
At Dei est vicarius imperator in his terris.
Carpzov. de l. Reg. c. 12. §. 6. n. 17.

2. Quia est advocatus Ecclesie, quod vi su-
perioritatis ipsi competit Thom. Michael.
Th. 27. de jurisd. Gail. observ. 166. consul.
1. n. 4. namq; jus patronatus vel propter funda-
tionem, c. abbatū 18. q. 2. p. constructionē c. 16.
q. 7. aut per dotationem c. nemo X. de conse-
crat. & præscriptionē c. querelā X. de elec.

Ad Contraria. 1. Fall. causa, scilicet tali modo
quum regnū ejus non sit de mundoloh. 20, 24.
deinde aliud, locum habere velle inter canoni-
cos vel clericos vacantem in monasterio vel E-
piscopatu & aliud politicū Statū inter Clericos.

Ad 2. est petitio principij: nō enim cōcedi-
tur, sed habet à Majestate, unde Gregale impe-
ratorum jure regio ac more à majorib⁹ accepto
Pauermeit. de jurisd. imp. l. i. c. 4. n. 44. fun-
datamq; jurisdictionem habet, ut non indige-
at indultu per l. in caus. 16. ff. de min. Specu-
latur in tit. de præbendis. §. rest. n. 17. Bux-
doiff. super Aureā Bullā c. 5. concl. 65. Fiehe-
tus in novis ad P. de Andlo l. 2. c. 6.



HORRE *Hic anim⁹, quoties torquetur inani
Ambitione sui nominis ordo sacer.*

*Et sic accessit mater Zebedeia supplex
Ad Iesum, dum vult quid petisse suis.*

*At Iesus: quid vis? responder: Filius euge
Hicce sit à dextris! ille sinister erit.*

*Dicit: uterq₃ petat quid nescit pocla bibetis?
Baptisabimini ceu volo? posse volunt.*

*At sit, ait, latus alterutrum quo prenses uterq₃
Non ego do; cui dat sed pater ille meus.*

*Ergo des humilē Deus optime maxime, mentē!
Quae sit mandatis obsequiosa tuis.*

*Talia proponit SCHUBARTUS. talia praestet!
Ne post horrores, hic erit horror honos.*

optat

GUEINZIUS.

ברבות אים זכריו בני מאל

גדולות בקש אה ואיו קבל:

נות הודע שוברת ידדנו

ואם ישמר גדול יהוא לנו:

TILEMANNUS BENCKERUS

H. S.






Nezücke meine Geist der Geist vñ Windus thron
 Vnd tieffe schauen mich / den sitz der ewigk eiten
 Wie schön er angeschmückt / den du nach dies zeit
 Mein Freund wirst nehmen ein / so wie sich in
 hund schon

Schwingt deine that empor / und nur was himtisch heist
 Ihr lest befohlen seyn: Denn wolt ich noch erreichen
 Was meine pflicht mich heist / tezt muß ich fast erbletchen /
 Vnd türlich sagen nur / das du voll Geistes seist.

Heinrich Günther Göcking.



Ἐσσην κρεόντων, ἀγλαὸν ὅς πόλις
 Νωμᾶ Ἰώκον, καὶ χθονὶ ἀπειρονα
 Ἐἰώδε καὶ γαύρας καὶ ἀνδρας
 θυμὸν ὑπερφιάλης χαλέψαι.
 Αὐτὰρ ταπεινὸς σφόδρ' εἶραται θεός
 ἄγνος. πινύσει γόνῳ θεῶ
 Ἡ παισὶ κῦδ' ἄλλῃ δίδοσθαι,
 Ὅπως δηλυτέραν ἐλέγχει.
 Καλῶς δὴ ληθῆς ταῦθ' ὑπὸ Γρενζίς
 Κραυλῆρ ἡμῶν φίλτατ' ἀδελφῆς,
 Ὡρμὴν τέλεσσόν σε πρεπόντως,
 Ὡς σε σέθεν τυχεῖν σκοπῆιο.
 Οὐλω σε θήσεις ὑψὲς ἀγακλέα.
 Οὐλω σε κρείων δέξεται ἐς θρόνον
 χρυσεῖον ἐλύμποιο, αἰεὶ
 Ἐγθα χαρὰ τέλει μεγίστη.

μοναδέλφω προσέθη
 JOHAN. BENEDICTUS Schubart
 Halâ-Saxo.



02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST.

HALL.


Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13



VITIARUM
 GELICARUM
 TIVALIUM
quisitio XXI
 PRÆSIDE
 ANO GUEINZIO
 anasii Hallensis
 Rectore
espondente,
 RISTOPHORO SCHUBARTO
 allenfi Saxone
 STO JACOBI
 O. R. cl. Ic. II.
 LIS SAXONUM
 eredum Melchioris
 Oelschlegell.

